

Id verè dico. Non ut mea crepem & ebuccinem, sed inventa magnorum Philosophorum KECKERMANNI ET TIMPLERI, commendem juventuti. Fateor enim, me ab hisce ambobus, maximè tamen à Keckermanno, adjutum esse. Horum virorum labores, vel potiùs libros ingentis laboris, variæ doctrinæ, summi ingenii plenissimos cùm animadvertissem, in eam sum adductus opinionem: ut mihi jam paucissimarum rerum cognitionem superesse sperarem, quæ ab iis non traditæ, & lumine methodi non illustratæ. Tanto scilicet scientiarum cumulo hi ipsi viri cæteros mortales anteeunt. Absit verbo invidia. Keckermanno Philosophorum eminentissimo accepta fero, quæ scribo de Lexico, Præcognitis, Systemate, & Gymnasio disciplinarum. Ab acutissimo Timplero habeo methodum tradendi disciplinas per theoremata & problemata. A Raymundo Lullio pleraque accepi, quæ de Arte magnâ scripsi. Adesto ergo, benevole lector, & non mea, sed aliorum consilia, exosculare. Ego enim, dum stupidus illorum virorum scripta circumspicio, dulcedine quâdam, nescio an deceptus, certè captus sum, imitandi eorum methodum: quos ad ejuscemodi fastigium, non nisi multarum artium, & methodici luminis antegressione esse evectos judicabam.